

TITULUS XI.

De his quæ fiunt à majori parte Capituli.

1 Ratio continuationis Rubricarum.

Vllo de his, quæ possunt fieri à Prælati cum vel sine consensu Capituli: merito subjungitur Rubrica præsentis Tituli, pro praxi quotidiana scitu summe necessari, quid videlicet possit fieri à toto aliquo Capitulo, sive Ecclesiarum Cathedralium, sive aliarum inferiorum; Et quid iuris, si ipsi Capitulares varient in suis votis. Hinc fit

§. I.

De Capitulo, ejusque convocacione.

SUMMARIUM.

- 2 Nomen Capituli varias habet significaciones. Et quomodo accipiatur quoad propositum?
- 3 Ut quis ad Capitulum spectare dignoscatur, debet esse subdiaconus. Quod limitatur. Ibid.
- 4 Debet etiam esse Canonicus, & habere vocem in Capitulo. Capitulum constituitur ex solis Canonicis. Ibid.
- 5 Appellatio Capituli proprie non venit Prælati, puta Episcopus, Abbas: bene tamen Decanus.
- 6 Solvitur instantia, & conceditur, quod largè loquendo, & in materia favorabili, etiam Prælati comprehendatur nomine Capituli.
- 7 Convocatio Capituli pertinet ad Præsidentem ipsius. Talis respectu Canonicorum de consuetudine est Decanus. Ibid.
- 8 Ad Capitulum extraordinarium sunt convocandi Capitulares præsentis. Et quid de Capitulis ordinariis? Ibid.
- 9 Si Capitularis legitime citatus interesse noluerit, valet electio, vel alius actus Capitularis cæterorum. Non tamen licitum est cuiquam Canonico, ordinariè abesse à Capitulis. Ibid.
- 10 Canonici absentes, in quibus casibus debeant vocari ad Capitulum?

Quæritur I. Quid nomine Capituli intelligatur, quique ad illud spectare dignoscantur? Resp. I. Capituli nomen varias habet significaciones: in proposito tamen sumitur pro ipso Canonicorum (vel Regularium) collegio, seu pro ipsis Canonicis in unum congregatis. Ita Jo. Andreas in c. Capitulum. n. 3. de Rescript. Jo. Calvinus in Lexico Juridico. vers. Capitulum, & alii. Prima pars patet ex illo vulgato versiculo, quo dicitur de Capitulo: Distinguit, minuit, locat, & collectio fertur. Imprimis enim Capituli nomen accipitur, prout distinguit unam materiam ab alia; & sic dicuntur Capitula Decretalium. Secundo, Capitulum sumitur pro parvo capite: & sic minuit. Tertio locat, quatenus Capitulum significat locum, in quo Canonici congregantur, resque Capitulares firmanur: ut c. In causis 30. de Election. ibi: Qui remanserant in Capitulo. Quarto tandem modo, & quantum ad propositum, accipitur Capitulum pro Collectione, seu congregatione personarum Ecclesiasticarum; puta Canonicorum, vel Regularium, in unum, seu capitulariter congregatorum: ut c. Capitulum san-

ctæ Crucis. 20. de Rescript. & alibi, junctâ Rubricâ præsentis Tituli: Et per hoc patet altera pars Conclusionis.

Resp. II. Ut quis cæterorum Divinis Officiis deputatus, spectare dignoscatur ad Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, vel collegiatæ sæcularis, aut Regularis, vocemque in Capitulum habeat, requiritur, quod sit in Sacris Ordinibus constitutus, atque ad minimum Subdiaconus existat. Textus est in Clem. 2. de Etate & qualitat. &c. quæ fuit innovata per Concilium Tridentinum Sess. 22. cap. 4. de Reform. Quamquam hinc excipiendi sint Ordines Militares, utpote Divinis Officiis specialiter non deputati: nec non Moniales, quæ propter sexus fragilitatem non sunt capaces Sacrorum Ordinum, & tamen possunt celebrare sua Capitula: prout notat Glossa in cit. Clem. 2. vers. Mancipati; etque jam dictum supra Lib. I. Tit. 14. de Etate & qualitate &c. n. 17. & 18.

Resp. III. Insuper, ut quis censetur esse de Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, vel alterius, non sufficit, quod sit constitutus in Sacris Ordinibus, eidemque Ecclesiæ quomodocunque delerviat; sed requiritur ulterius, quod sit Canonicus, vocemque habeat in Capitulo. Ita Abbas c. Scriptum. num. 4. de Election. asserens, quod Canonici tantum faciant Capitulum, & unum corpus cum Episcopo. c. Novit. 4. De his quæ fiunt à Prælati &c. nisi aliud habeat consuetudo. Barbosa de Canonicis. cap. 37. num. 15. asserens, quod ex solis Canonicis Capitulum constituitur; atque pro hoc suo dicto allegans Rotam, Decis. 708. part. 2. Recent. & aliam Rotam in Hispaniæ. Præminentiarum. 4. Julii. 1625. coram Rev. D. Cocino, pluresque Authores. Hinc Clerici Beneficarii, alique non Canonici (sub his etiam comprehendendo Præpositos, quando allas non sunt Canonici, juxta Abbatem loc. cit.) qui Ecclesiæ Cathedrali, aut Collegiatæ, in celebratione Missarum, Choroque affiunt, non sunt de Capitulo ipsius. Quam imò alicubi, ac præsertim in Germania, etiam Canonici supernumerarii (alias Domicellares nuncupati) non pertinent ad Capitulum, & proinde neque ad illud sunt vocandi: quia videlicet ante obtentam Præbendam non consueverunt habere vocem in Capitulo.

Quæritur II. An appellatione Capituli veniat Prælati? Resp. nomine Capituli proprie non venit Prælati, puta Episcopus, vel Abbas: bene tamen Decanus. Ita Glossa in Clem. 2. §. In eisdem. de Etate & qualitat. &c. Abbas c. Post electionem. num. 8. & 9. de Concession. Præbend. Pirhing. h. t. n. 1. & alii; contra Card. Tuschum Litt. C. Concl. 46. & Ancharanum Const. 248. n. 12. Ratio prioris partis est: quia jus Prælaturæ, est jus distinctum à Jure Capituli; ut patet ex toto Titulo, Ne Sede vacante &c. Simulque Prælati & Capitulum, sunt diversa: unde etiam sub diversis Titulis de eisdem agitur, nimirum Tit. 10. De his, quæ fiunt à Prælati &c. & præsentis Tit. 11. De his, quæ fiunt à major. part. Capit. Altera pars ex eo probatur: quia Decanus proprie est pars Capituli. Glossa, & Abbas c. Post electionem. 7. n. 9. de Concession. Præbend. & alii. Atque in toto, partem non est dubium contineri; ut inquit Reg. 80. Jur. in 6. Accedit, quod in cit. c. Post electionem. 7. §. Cum igitur. de Concession. Præbend. litteræ ad Capitulum directæ, in quibus nulla fiebat mentio de Decano, nihilominus affecterint Decanum; prout contra mentem Capitularium, resoluit Pontifex ibidem. Et hinc Glossa ibid. vers. nullatenus inquit: Nec erat necesse, facere mentionem de parte, id est de Decano: cum pars teneatur in toto, can. Legimus. dist. 93. & alibi.

Obji-

§. II. De Actis Capitularibus, horumque requisitis, &c. 213

6 Obijciens contra priorem partem Conclusionis. Prælati & Capitulum faciunt unum corpus, seu unam Ecclesiam, c. Novit. 4. De his, quæ fiunt à Prælati &c. ergo nomine Capituli etiam comprehenditur Prælati, puta Episcopus, vel Abbas. Resp. neg. consequent. Quam imò, ut notat Glossa in cit. Clem. 2. vers. In eisdem. de Etate & Abbas ibid. n. 15. de Etate & qualitat. potius ex hoc desumitur contrarium: nam Prælati hoc ipso, quod sit talis, est Superior Capituli; & consequenter sub hujus nomine nequit comprehendendi. Et hoc procedit proprie loquendo, ac in materia strictæ interpretationis, arg. c. Cum Cleric. 19. de Verb. signif. nam in quadam larga verbi significatione, atque in materia favorabili, nomine Capituli etiam comprehenditur Prælatum, veluti caput ipsius principale; sicutur Glossa in cit. Clem. 2. vers. In eisdem. de Etate & qualitat. &c. & Abbas d. c. Post electionem. n. 8. & 9. de Concession. Præbend. Et forsitan istud ultimum intenderunt Authores, supra n. 5. in contrarium allegati.

7 Quæritur III. Ad quem spectet convocatio Capituli, quique ad illud sint vocandi? Resp. I. Convocatio Capituli faciendâ, quomodocunque Ecclesiæ servitio videbitur, pertinet ad Præsidentem ipsius. Barbosa tract. de Canonic. & dignitat. cap. 35. nu. 1. Et talis Præses Capituli respectu Canonicorum de consuetudine solet esse Decanus: haud obstantè, quod Archidiaconus; spectato Jure communi, sit prima Dignitas post Pontificalem; sique potius ad Archidiaconum, tanquam ad majorem, pertinet convocare Capitulum, arg. cap. 1. de Offic. Archidiacon. & citatis pluribus aliis notat Fagnanus c. Ut Abbates. n. 26. & 27. de Etate & qualitat. In defectum autem Decani, vel alterius, ad quem id spectat de jure, vel consuetudine, potest Capitulum convocari ab Antiquiore ipsius. Innocentius in cap. 1. & Abbas ibid. n. 4. de Majoritat. & obed. Fagnanus c. Quia propter. nu. 75. de Election. Episcopus etiam potest Capitulum convocare, atque vota exquirere, & juxta ea concludere, quando Canonicis alicuique habet proponere ad deliberandum, quod ad suum, vel suorum commodum non spectat: verum absente Episcopo omnino hoc ab eis, ad quos hoc de jure, vel consuetudine spectat, perficiatur; nec ad id vicarius Episcopi admittitur: prout in terminis statuit Concilium Tridentinum Sess. 25. cap. 6. de Reform.

8 Resp. II. Capitulares illos, qui sunt præsentis in loco esse convocandos, atque citandos, quando Capitulum extraordinarium celebratur, nemo dubitat. Et additur, extraordinarium: nam in Capitulo ordinario sibi Canonicus imputet, si eo absente, seu potius interesse nolente, alicui capitulariter tractetur, atque decidatur, saltem loquendo de negotiis ordinariis, minusque arduis. Quando autem in Capitulo ordinario tractandum assumere negotium arduum; atque de Jure requires convocacionem Capituli; singulis Capitularibus id prævidendum, eorumque citatio faciendâ foret: alioquin enim, etsi fierent, hodie v. g. futurum Capitulum ordinarium, nescirent tamen, in eo tractandum esse negotium tam arduum, ac de jure requires citationem singulorum, cujus decisioni f. rian etiam ipsi interesse voluissent, si illud tractandum foret præcognovissent. In quo tamen puncto cum primum attendenda erit antiqua, & laudabilis consuetudo cuiuslibet Ecclesiæ, juxta generalia Juris principia de Consuetudine tradi solita.

9 Porro, si quis Capitularium legitime citatus spontè Capitulo interesse noluerit, valet electio, vel alius actus capitularis à cæteris præsentibus canonicè peractus, arg. c. Quia propter. 42. de Election. ibi: Et volunt -- interesse; etque uberius dictum

supra Lib. 1. Tit. 6. de Election. §. 5. num. 117. Verum cessante justo impedimento, atque extra tempus permittæ à Concilio Tridentino trimestralis absentia, non est licitum cuiquam Canonico, ordinariè abesse à Capitulis: nam munus Canonicorum non solum in residentia personalis; atque servitio Ecclesiæ, & Chori, veluti officio eorumdem præcipuo, consistit; sed etiam includit rectam administrationem, & gubernationem obligationem interessendi Capitulo, declarat Barbosa cit. tract. de Canonicis. cap. 40. n. 1. & seqq.

Resp. III. Quantum attinet Canonicos absentes, IO communiter respondent Doctores cum Glossa magistrali in cap. 2. vers. Ipsorum. de Testibus. in 6. quod absentes ad Capitulum necessari non debeant vocari, nisi in tribus casibus: Primò videlicet, in electione, c. Quia propter. 42. de Election. cum similibus; Secundo, in receptione Canonicorum, & Præbendarum collatione: nisi aliud habeat consuetudo Ecclesiarum, text. clar. c. Cum in Ecclesiis 33. de Præbend. in 6. Et tertio in cessatione à Divinis, c. Quamvis 8. de Offic. Ordinar. in 6. Ita Abbas c. Cum ex injuncto. n. 10. & Innocentius, Fagnanus ibid. n. 52. de Novi oper. nunciat. Barbosa d. tract. de Canonicis, cap. 39. n. 1. allegans alios. Quamquam hi ipsi Authores citatam Glossam extendant ad omnes consimiles casus, ac generaliter addant, quod ubicunque negotium est arduum & grave, semper absentes vocandi sint. Intellige, quando istud commode fieri potest, & non est periculum in mora, nec alicubi habetur consuetudo in contrarium: nam circa hoc attendendas esse consuetudines Ecclesiarum. monet Glossa c. Quamvis. vers. Evocandi de Offic. Ordinar. in 6. Barbosa loc. cit. Engel h. t. n. 2. & communis aliorum.

§. II.

De Actis Capitularibus, horumque requisitis, & valore.

SUMMARIUM.

- 11 Ut quid censetur capitulariter actum à toto Capitulo, Collegio &c. atque valeat, requiritur, ac regulariter sufficit consensus majoris partis ipsius. Major pars Capituli representat totum Capitulum. Ibid.
- 12 Requiritur insuper, ut omnes vocem activam habentes legitime convocentur &c.
- 13 Et quod Capitulares fuerint congregati capitulariter, & cum ipsis tractatus præhabitus.
- 14 Atque duæ partes Capitularium sint præsentis, saltem spectato Jure Civili. Et n. seq.
- 15 & 16. Canonis quoad distinguunt: & quomodo?
- 17 Qualis subscriptio requiritur, quando super Actis capitularibus debet erigi Instrumentum? Et num. seq.
- 18 In praxi est attendendum ad specialem locorum consuetudinem.
- 19 Instrumento nomina absentium non sunt inscribenda.
- 20 Major, & senior pars Capituli, quæ?
- 21 Ad validitatem Actus capitularis necesse est, ut sit gestus à majori, & juniori parte Capituli.
- 22 & 23. Solvitur duplex instantia.
- 24 Dantur tamen aliqui casus, in quibus limitatur data Regula. Et n. seqq.

Minor

- Minor pars Capituli, rationabiliter aliquid opponens, potest impedire decretum majoris partis; non tamen aliquid capitulariter statuere. *Ibid.* & num. 22.
- 25 Unicus Canonicus potest se opponere pro defensione Ecclesie sue.
- 26 Ac sua contradictione impedire, quod minus valeant gesta majoris partis ad damnum Ecclesie.
- Jura Universitatis in uno solo retinentur. *Ibid.*
- 27 Quando major pars scienter eligit indignum, valet electio à minori parte celebrata.
- 28 Ratione longæ consuetudinis potest ad validitatem actus capitularis, v. g. electionis, sufficere consensus majoris partis respectu minoris, licet non sit major respectu Capituli.
- 29 Hoc ipsum accidit in Jure patronatus: & cur? Et num. seqq.
- Ubi plures explicant actum ut singulares, sufficit major pars respectu minorum partium. *Ibid.*
- 30 Discrimen inter electionem, & præsentationem à Patronis factam.
- 31 Quando intervenit contemptus alicujus de Capitulo, potest is irritare actum à cæteris, si velit.
- Electio plus obstat contemptus unius, quam contradictio plurium. *Ibid.*
- 32 In assumptione Coadjutoris Episcopo demeriti dandi, debent concurrere due partes Capituli.
- 33 Ac in electione Summi Pontificis due partes Cardinalium.
- 34 In iis, quæ competunt pluribus ut singulis, requiritur consensus omnium. Et n. seq.
- 35 Quæ ratione salvetur dispositio cap. ult. h. t. Et ratio dubitandi.
- 36 Rejicitur opinio Vincentii.
- 37 Pontius vera sententia, concedens, quod Episcopus cum majori parte Capituli possit statuere, ut quilibet Canonicorum teneatur aliquam portionem suorum reddituum pro reparatione Ecclesie sue deputare. Et hujus ratio.
- 38 Solvuntur rationes dubitandi.
- 39 Id ipsum ampliatur ad alias pias causas ob necessitatem, vel utilitatem Collegii: ut est sustentatio pauperis Scholaris docilis. Et num. præced.
- 40 Secus, quando nulla subest pia & necessaria causa, seu utilitas Collegii: ut, alicui gratiam facere.
- 41 Capitulum non potest ferre Interdictum locale sine consensu Episcopi.
- 42 An Capitulum valeat condere Statuta, vel Condi-ta, aut etiam juramento confirmata revocare? *Remissivè.*
- 11 **Q**uæritur I. Quam occurrere debeant, ut aliquid censetur capitulariter actum à toto Capitulo, firmitatemque obtineat? Resp. I. Ad hoc, ut Capitulum, Collegium, aut alia Universitas aliquid agere censetur, actumque valeat, plura requiruntur. Et primò quidem requiritur, atque regulariter sufficit consensus majoris partis ipsius. Ita communis; atque desumitur ex cap. 1. h. t. ubi Summarium, & Abbas n. 1. alique passim, ponunt hanc regulam: In universitatibus Ecclesiasticis prævalet regulariter, quod sit à majori parte: nisi minor pars rationabiliter contradicat. Concordat textus in cap. 3. &

4. eod. cum similibus. Accedit ratio; quia Capituli potestas in majori, & saniori parte Capituli consistit. Barboza cit. tract. de Canonis. cap. 38. n. 3. allegans alios. Unde, quod major pars Capituli facit, à toto Capitulo intelligitur factum: nam major pars Capituli, repræsentat totum Capitulum; prout habetur in l. Quod major. ff. Ad Municipalem, illis verbis: Quod major pars Curie efficit, pro eo habetur, ac si omnes egerint. Additur tamen in data Conclusionem ly, regulariter: nam, ut taceatur, quod major illa pars debeat simul esse sanior, per textus n. 21. allegandos; dicta Conclusio nonnullas alias patitur limitationes, juxta dicenda n. 24. & seqq.

Resp. II. Insuper ad validitatem Actuum Capituli requiritur, ut omnes ad illud pertinentes, seu vocem activam habentes, legitime convocentur, conformiter proximè dictis num. 8. & 10. Alias enim uno eorum contempto, seu non vocato, qui debent, volunt, ac possunt interesse, potest is agere de contempto; & nisi velit pro bono pacis acquiescere actis aliorum, illi hæc ad ejus instantiam erunt irritanda. Ita communis. Prior pars desumitur ex can. 2. §. Hoc jus. caus. 10. q. 2. ibi Major parte ibidem servientium consentiente. Atque specialiter loquendo de electione, patet ex c. Quia propter. 42. de Election. ubi statuitur, electionem esse celebrandam presentibus omnibus, qui debent, & volunt, & possunt commode interesse: juncto quoad alteram partem Conclusionis cap. Quod sicut 38. & c. Ecclesia vestra. 57. de Election. ac dicendis infra n. 31.

Resp. III. Rursum, ut Capitulum censetur aliquid fecisse, oportet, quod Capitulares fuerint congregati capitulariter, & cum ipsis tractatus præhabitus, arg. cap. ult. h. t. ibi: Tractatum communiter habuistis. Neque sufficit, quod singuli Canonici seorsim aliquid promittant, sententiam, aut suam voluntatem declarent: alioquin enim singuli convenirent singulariter duntaxat, non autem collegialiter, juxta textum notabilem in c. In Genesi. 55. de Election. Jo. Honorius n. 1. h. t. Engel eod. n. 5. & alii.

Resp. IV. Ad hoc, ut Capitulum quidpiam capitulariter tradat, præter legitimam ejus convocationem factam ab eo, ad quem pertinet convocatio Capituli, & quod omnes & singuli, qui de jure vel consuetudine vocandi sunt, convocentur; ulterius requiritur, quod saltem duæ partes, seu duæ tertie Capitularium, sint præsentem, v. g. ex duodecim octo. Ita Glossa cap. 1. vers. Constitutum. & Abbas ibid. n. 16. h. t. Riccius in praxi Variar. Resolut. p. 2. reso. 280. & alii, istud tamen intelligentes sub distinctione proximè afferenda. Idque desumitur ex l. Nullit. & l. Plane. ff. Quod cujusque universitatis nomine &c. ubi ut actus Universitatis valeat, requiritur, quod duæ partes adsint, aut amplius quam duæ: in quibus duabus partibus connumeratur etiam is, qui tunc eligitur; ut cit. li. Plane. dicitur. Siquidem Universitas est persona facta, seu repræsentata, l. Mortuo. & ibi Glossa ff. de Fidejussorib. Fagnanus c. Ad hæc n. 64. de Religios. Domib. Et duæ partes repræsentant totam Communitatem, per Jura citata, junctâ l. 3. ff. de Decretis ab ordin. faciend. Abbas cit. n. 26. & alii.

Atque istud verum est spectato Jure Civili, & secundum Civilistas: nam, ut inquit Abbas c. Cum omnes n. 13. de Constitution. & Fagnanus c. Cum ex injuncto. num. 49. de Novi oper. nunciat. Canonice communiter distinguunt. Quia (inquiunt) vel ad est aliquis, puta, Superior, ad quem spectat congregatio, seu convocatio Universitatis: & tunc, si ad illius mandatum non veniant omnes cæteroquin legitime vocati, poterunt venientes explicare actum, etiamsi non faciant duas tertias; imò etiamsi non interveniat major pars Capituli: quia tunc con-

convocatio Superioris constituit cæteros non venientes in contumacia, & hæc privat illos facultate dandi vocem, c. cum nobis. 19. de Election. Ubi ad Electionem faciendam accedere nolentes, alienos se fecisse videntur. Unde Glossa ibid. vers. Alienos infert, quod, ex quo nolunt venire vocati, potest procedi sine ipsis, arg. c. Prudentiam. 21. §. Adjicimus. de Offic. judic. Delegat. Si verò non sit aliquis, ad quem spectet convocatio Universitatis, tunc etiam secundum Canonistas debent duæ tertie intervenire, per Jura n. 14. allegata.

16 Intelligit hoc ultimum, nisi inflet finis termini, præfixi Universitati ad expeditionem actus: quia tunc minor pars conveniens debet vocare alios, qui commode possunt vocari; eisque vocatis, si venerint, si vero non venerint, procedere possunt presentes ad expediendum actum, v. g. electionem: non enim debet Universitas privari suo jure ob contumaciam absentiam majoris partis. Ita Innocentius c. Cum ex injuncto. 2. de novi oper. nunciat. Jo. Andreas c. In causis. n. 22. de Election. Abbas & Fagnanus, ubi supra, & alii.

17 Resp. Quando super actis Capitularibus debet erigi Instrumentum, seu Scriptura, regulariter necesse non est, ut singuli Capitulares se subscribant; sed sufficit apprimere consuetum sigillum Capituli, & in contextu illius Instrumenti, aut inferius adscribere, quod Capitulum, aut Collegium talis Ecclesie id fecerit. Ita Innocentius, & Abbas in cap. 1. n. 4. De his que sunt à Prælat. asserentes, quod subscriptio nunquam requiratur, nisi in casibus à Jure expressis: quorum plures enumerat Glossa in cap. 1. vers. In scriptis. de Cens. in 6. Eandem Conclusionem tradit Ludov. Engel h. t. n. 14. citans Myrtingerum Centur. 1. Observat. 76. & Centur. 3. Observat. 18. & concordat dicta superius Lib. 2. Tit. 22. De Fide Instrumentorum. §. 3. n. 91. & 92.

18 In praxi vel maxime attendendum est ad specialem locorum consuetudinem: multis quippe in locis etiam in causis arduis tantum Præpositus, Decanus, & Senior, nomine totius Capituli se subscribunt.

19 Et quando etiam, ob gravitatem causæ, omnes Capitulares sese subscribere solent, omnino cavendum est, ne Instrumento Canonicorum absentia nomina inscribi sinantur: talia enim munimenta irrita sunt, & falsa, ac questionis falsi subiecta, text. clar. c. Quando, 5. De his que sunt à Prælat. &c. Atque ita observari videmus in pluribus Bullis Pontificiis, in quibus Papa, & Cardinales præsentem nominatim se subscribunt, loca autem Cardinalium absentium relinquuntur vacua.

20 Queritur II. Utrum ad valorem actuum Capitularium in omnibus prolixis casibus requiratur, atque sufficiat consensus majoris & sanioris partis Capituli? Ubi prænotandum, quod major pars dicitur respectu numeri, sanior verò respectu consilii, & materie subiectæ. Fagnanus in c. Cum in cunctis n. 3. h. t. Hinc Major pars Capituli censetur ea, ubi est major numerus votantium respectu totius Capituli præsentis; ad quod sufficit quicumque cessit ultra medietatem, etiamsi foret unius medii voti: unde si adessent tredecim votantes, septem vota jam sufficerent ad hanc majoritatem. Sanior verò pars Capituli dicitur, quæ est justior, & majori ratione nititur, & autoritate. Glossa c. In Genesi. 55. vers. Ad zelum. de Election. Sive (ut alii loquuntur) Sanior pars censetur, quæ consistit viris dignitate, ætate, prudentia, pietateque magis conspicuis: prout fultus dictum est supra Lib. 1. Tit. 6. de Electione. §. 6. num. 138. 139. 142. ac seqq. Quo prænotato,

21 Resp. I. Ad validitatem Actus Capitularis non sufficit, quod major pars Capituli aliquid decernat,

nisi illa etiam sit sanior: nec eorum sufficit, quod sanior pars quid decernat, nisi etiam sit major: sed necesse est, ne actus Capitularis simul à majori, & saniori parte Capituli sit gestus. Ita communis; & patet ex cap. 1. h. t. ubi Concilium Lateranense, celebratum sub Alexandro III. sic fultus referitur: Quocirca præseni Decreto statuimus, ut nisi à paucioribus & inferioribus aliquid rationabiliter obiectum fuerit, & ostensum; appellacione remota prævaleat semper, & suum consequatur effectum, quod à majori & saniori parte Capituli fuerit constitutum. Ubi prænotando, ly, à majori & saniori parte Capituli &c. infert Abbas ibid. n. 3. & 11. & communis aliorum quod in negotio Ecclesie explicandis copulativè requiratur major, & sanior pars Capituli cap. 3. & 4. h. t. junctò c. Quia propter, 42. de Election. ubi præter ad validitatem actus Capitularis, v. g. electionis, requiritur, ut in eum omnes, vel major & sanior pars Capituli consentiat; cum similibus.

Nec dicas. In relato textu c. h. t. dicitur posse 22 à paucioribus & inferioribus aliquid rationabiliter obijci; & si istud ostensum, seu probatum fuerit, impediri illud, quod majori parti placuerat: ergo valet id, quod sanior pars Capituli constituit, et si non sit major. Resp. neg. consequent. Quia, ut bene notat Abbas cit. cap. 1. n. 11. h. t. in tali casu potest quidem minor pars, rationabiliter aliquid opponens, atque probans, impedire decretum Majoris partis: non tamen potest aliquid statuere capitulariter, seu nomine totius Universitatis. Intelligit, dummodò major pars non sit privata voce activâ propter delictum, puta ob electionem indigni scienter factam: quia tunc potestas totius Capituli resideret in non delinquentibus, licet numero paucioribus, atque isti repræsentarent Capitulum, sicque etiam capitulariter quid statuere, puta exigere, valerent; ut c. Dudum. 22. junctâ Glossa vers. In ordinibus. & c. Congregato. 53. de Election. etque jam dictum supra Lib. 1. Tit. 6. De Elect. §. 11. n. 251. & 260.

Dices In can. 1. & 2. & 3. dist. 65. ad canonicam electionem sufficere dicitur consensus plurimorum; ergo non est curandum; an major pars Capitularium aliquid statuerint, etiam sit sanior. Resp. neg. consequent. Nam allegati Canones, alique consimiles, intelligi debent de majori, simulque saniori parte: idque tura ob Jura num. 21. relata: tum ex eo, quia in citatis Canonibus solum excluduntur pauciores, qui animositate ducti, vel per malitiam, aut propter proprias & domesticas similitates contradicere sententiæ plurimorum non verentur; sicque illis contemptis decernitur ibidem, servari sententiam plurimorum. Accedit, quod major pars censetur illa, quæ majori ratione & pietate nititur, can. Sana quippe. dist. 9. & can. Multi sacerdotes. in fin. dist. 40. & notat Glossa c. 1. vers. Rationabiliter. h. t. ac proinde major pars involvit, quod sit sanior; sicut & in dubio pars major, censetur etiam sanior: quia præsumitur pro pluralitate, nisi contrarium probetur. Glossa cit. cap. 1. vers. Rationabiliter, etque pariter jam dictum supra cit. Tit. 6. de Electione. n. 143. & 144.

Resp. II. Dantur nihilominus aliqui casus, in quibus vel prævalet pars sanior, et si non sit major: vel non sufficit, quod major & sanior pars aliquid decernat. Ita communis; & patet inductione. Sic imprimis, quantum attinet priorem partem prævalet id, quod minore parte, rationabiliter aliquid opponente, & probante, intenditur: est enim minor pars nihil possit capitulariter decernere, juxta proximè dicta num. 22. potest tamen, dum rationabiliter contradicit, impedire decretum majoris partis, per textum cit. c. 1. h. t. ibi: Nisi à paucioribus & inferioribus aliquid rationabiliter ob-

216 *idem fuerit, & ostensum &c.* Ubi ly, & ostensum, idem importat, ac: Dummodo minor pars contradicens coram Superiore Capituli, vel electis arbitris (pars enim major non est iudex, sed suspecta) probaverit id, quod obicit: nam non sufficit obicere, nisi probetur. Glossa *ibid.* *verf. Ostensum, & alii.*

25 Quin imò, tamen gesta à majori parte Capituli ad utilitatem Ecclesiae valeant, non obstante aliorum contradictione: tamen si major pars irrationabiliter, aut in damnum Ecclesiae quidpiam decrevisset, potest etiam unus contradicere, *arg. c. Nicena. dist. 21. junctâ Glossâ final. & marginal. Ricci. in praxi Variar. Resolut. p. 2. resol. 249. & Archidiacono n. 6. ibid.* notanter interentibus, quòd unus Canonicus possit se opponere pro defensione Ecclesiae suae.

26 Similiter ceteris delinquentibus, ut puta, in haeresin lapsis, unius innocentia, & contradictio impedire potest, quò minus valeant gesta majoris partis ad delictum, & damnum Ecclesiae imputandum. Ita Apostilla ad Bartolum in l. *Subemus nullam.* *verf. Capituli. C. de Sacrosanct. Eccles.* citans Paulum de Castro. Layman. *c. Inter quatuor. num. 2. de Majoritat. & obed. Pirhing h. t. num. 4.* Siquidem jura Universitatis, vel Collegii, in uno solo retinentur. *l. Sicut. ff. Quod cuiusque Universitat. nomin. Simulque delictum persone non debet in detrimentum Ecclesiae redundare, ut inquit Reg. 76. Jur. in 6.*

27 Tacetur casus ille, quo major pars Capituli scienter elegit indignum: quia tunc valida est electio digni à minori parte Capituli, ob rationem datam n. 22. estque ex professo dictum superius *Lib. I. Tit. 6. De Electione. n. 146. & n. 152.*

28 Deinde data Conclusio patitur limitationem ratione contrariae consuetudinis alicubi receptae. Nam in quibusdam Ecclesiis, seu locis, ex longava consuetudine receptum esse, ut ad validitatem actus capitularis, v. g. electionis, sufficiat consensus majoris partis Capitularium comparatione partis minoris, licet non sit major respectu totius Capituli praesentis; notat Zypaeus in *Analytica Juris Pontificii, lib. 3. tit. De his, quae sunt à major. par. Capituli. n. 1.* Engel *tit. de Electione. n. 37.* Vallensis *h. t. n. 4.* asserens, in Collegiis passim obtinuisse, ut quòd major numerus non respectu totius, sed minoris partis decreverit, ratum sit, & plenum habeat vigorem. Quod tamen, an hic & nunc procedat, ex usu & consuetudine particulari cujuslibet loci, desumendum erit; nam consuetudo, cum sit facti, & plura ad eam requirantur, ita ut sit difficilis probationis, juxta Glossam *fin. cap. ult. de Consuetud. in dubio non praesumitur, sed probari debet.*

29 Tertio eadem Conclusio fallit in Jurepatronatus. Nam si plures sint patroni, atque isti variant in praesentando Clericum idoneum ad Beneficium vacans; tunc valida est praesentatio facta à majori parte Patronorum, etiam respectu minoris partis, licet non excedat medietatem omnium Patronorum, dummodo ceteroquin Clericus sit idoneus. Unde, quando quatuor sunt Patroni, & unus eorum praesentat Titium, alter Sempronium, & duo reliqui Cajum, valida erit praesentatio duorum in favorem Caji facta; huicque ceteroquin idoneo, debebitur Beneficium vacans, *arg. c. Quoniam. 3. de Jure patronat. ac notat Joan. Andreas ibid. & Abbas n. 13. & Fagnanus n. 13. citans Rotam Decis. 568. n. 2. apud Farinacium par. 1. Recent. & alios.* Ratio est: quia patroni praesertim laici, non praesentant ut Collegium (alioquin secus foret dicendum) sed communiter praesentant ut singulares: atqui in illis, ubi plures habent explicare actum ut singulares, sufficit major pars respectu aliorum minorum partium, *arg. cit. c. Quoniam. de Jure patronat. ac*

notat Jo. Andreas, & Abbas, *ubi supra.*

Unde non obstat *c. Ecclesia vestra. 48. de Election.* Quia ibi sermo est de Electione, quae non nisi à Collegio, seu à pluribus capitulariter congregatis fieri potest, sique requirit majoritatem votorum respectu totius Capituli praesentis: hic autem est sermo de Praesentatione; quae à Patronis fieri solet ut singularibus, non autem ut Collegio. Archidiacono *can. Nicena. n. 6. dist. 31.* Jo. Andreas, & Abbas *ubi supra, & alii.*

Fallit quarto eadem Conclusio, quando intervenit contemptus alicujus de Capitulo, Collegio, seu Universitate. Quia, si vel unus vocatus non est, qui vocari debuisset, potest is agere de contemptu, atque id, quod à ceteris actum, sive conclusum fuit, irritare, si velit. Glossa *in c. Quia propter. verf. Sanior. & Abbas ibid. n. 12. & Jo. Andreas nu. 28. & Fagnanus n. 29. de Election.* alique passim. Siquidem electioni (idemque dicendum de aliis actibus Capitularibus) plus contemptus unius, quam contradictio multorum obstat, ut dicitur *c. Bone memoriae. 36. & c. Venerabilium. 34. §. Objectioni. & c. Quòd sicut. 28. de Election.* Additur verò notanter, si velit irritare. Nam, si contemptus postea propter bonum pacis curaverit consentire, valet electio, vel alia dispositio Capitularis, juxta textum expressum *in cit. c. Quòd sicut. §. 1. in fin. de Election.*

Fallit quinto in assumptione Coadjutoris Episcopi copo dementi dandi. Nam si Episcopus fuerit dementis, & quid velit vel nolit, exprimere nesciat, tunc quidem Capitulum Cathedrale auctoritate Apostolica poterit, atque debet eidem unum, vel duos Coadjutores idoneos assumere, ad istam tamen assumptionem non sufficit major pars Capituli: sed oportet, ut vel totum Capitulum, vel saltem duae ipsius partes concurrant, per textum expressum *in cap. 1. §. Si vero Episcopus. de Cleric. agrotant. in 6. estque jam dictum supra eod. Tit. 6. de Clerico agrotante. §. 2. n. 43.*

Fallit sexto in electione Summi Pontificis: quia haec non valet, nisi fiat à duabus partibus Cardinalium praesentium, *c. Licet. 6. de Election.* estque amplius dictum supra *Lib. I. Tit. 6. de Electione. §. 6. n. 149.* Ubi n. 152. & 153. *ac seqq.* praesens Fallentia in materia Electionis accidens, extenditur ad casus illos, quando Electio concurrat cum Postulatione: & quando major pars scienter eligens indignum, privatur potestate eligendi pro una vice: de quibus casibus ibidem videri poterit.

Fallit septimo in dispositione Capituli, Collegii, vel alterius Universitatis de iis, quae competunt pluribus non ut Collegio, sed ut singulis. Nam praesens Titulus loquitur de illis, quae competunt pluribus ut Collegio, seu Universitati: de aliis verò, quae competunt pluribus ut singulis, procedit Regula 28. *Juris in 6. Quod omnes tangit, debet ab omnibus probari, cum concordantis.* Sed occasione hujus ultimae fallentiae.

Quaeritur III. Quà ratione salvetur dispositio *cap. ult. h. t. ?* Ubi dictum habetur, quòd Episcopus cum majori parte Capituli possit statere, ut quilibet Canoniorum teneatur aliquam partem suorum reddituum conferre ad reparationem Ecclesiae Cathedralis, non obstante quorundam contradictione. Ratio dubitandi est: quia in tali casu videtur, quòd Canonici illi tenebantur contribuere ut singuli; non vero ut Collegium, seu Capitulum: atqui istud repugnat proximè dictis *n. preced. ergo.* Accedit Reg. 56. *Juris in 6. In re communi, potior est conditio prohibentis.* Et concordat textus notabilis *in l. Per fundum. ff. de Servitutib. rusticor. praedior.* Ubi Summarium breviter inquit, *In iis, quae sunt communia pluribus ut singulis, requiritur consensus om-*

omnium, qui potest separatiim adherere: cum similibus.

36 Nec juvat respondere cum Vincenzio, quem refert Abbas *cit. cap. ult. n. 4. t. h.* dispositionem dictae Decretalis processisse ex approbatione Papae: alius verò procedere contrarium. Nam (ut bene opponit Abbas *d. n. 4.*) secundum istam Vincentii opinionem pro nihilo deserviret hodie ista Decretalis: ac proinde frustra fuisset posita in Volumine Decretalium: atqui hoc est absurdum dicere, & contra dicta in proemio Quinque Librorum Decretalium, ubi Pontifex *Decretales in unum volumen providit redigendas, rescatis superfluis;* & consequenter nulla amplius superfluis. Itaque dimissa memoria Vincentii sententia,

37 Resp. I. Episcopus, sive alius Praelatus, cum majori parte Capituli sui, etiam contradicente parte minore, potest statueri, ut una cum ipso quilibet Canoniorum pariter aliquam portionem suorum reddituum pro reparatione Ecclesiae suae, veluti opere tam pio & necessario, deputare teneatur. Textus est expressus *in c. Ex parte. seu cap. ult. h. t.* Et ratio hujus decisionis Apostolicae est ea, quam assignant Innocentius, Jo. Andreas, Abbas, alique passim *in cit. cap. ult. h. t.* Quia videlicet (ut loquitur Pontifex ibidem) reparatio Ecclesiae Cathedralis, seu propriae, est causa pia, & necessaria, concernens etiam utilitatem & necessitatem ipsius Collegii, utpote cujus Ecclesia indiget reparatione. Accedit, quòd redditus illi non pertinent ad Canonicos jure proprio, sed jure Ecclesiae: nam redditus Canonicales principaliter pertinent ad Ecclesiam, utpote ex cuius fructibus, olim in quatuor partes divis, *can. De redditibus. & can. Concesso. & can. Quatuor. 12. qu. 2.* Mensa Capitularis confurrexit, quae postmodum in singulos Canonicos proportionaliter pro honesta eorum sustentatione dividi debet. Unde propter communionem, quae est inter Ecclesiam, & Praelatum Sponsium ejusdem, ipsi quoque Capitulum, merito Praelatus una cum majori parte Capituli statueri poterit, quòd ad necessariam Ecclesiae reparationem quilibet Canonicus aliquid conferre teneatur.

38 Neque obstant rationes dubitandi *num. 35. allatae.* Respondetur enim cum Innocentio, & Abbate, *ubi supra, Engel h. t. n. 13.* aliisque passim, quòd Regulae, & Jura ibidem allegata procedant, quando redditus, v. g. patrimonii, ad singulos pertinent jure proprio: secus, quando pertinent ad eos jure Ecclesiae, seu Collegii. Sic enim major pars, utpote repraesentans totum Collegium, potest de ipsis, veluti ante actualem divisionem in singulos Canonicos factam adhuc pertinentibus ad Ecclesiam, jure merito disporre: dummodo id fiat pro opere pio simulque necessario: ut est reparatio Ecclesiae Cathedralis ruinosa, vel alia hujusmodi pia causa, ob necessitatem, vel utilitatem ipsius Collegii occurrentis.

39 Atque istud posterius solent exemplificare Doctores in sustentatione Scholaris pauperis docilis, existentis in Studio. Nam, quia haec ratione possunt acquiri Viri docti, qui veluti stellas in perpetuas eternitates mansuri, ad justitiam valeant plurimos erudire, *c. Super specula. §. de Magistris:* sicut & universalis Ecclesia ad sui regimen Viris literatis vel maxime noscitur indigere, *c. Cum ex eo. 34. de Election. in 6.* Hinc posse Episcopum cum majore parte Capituli, non obstante pauciorum contradictione, statueri, ut quilibet Canonicus debeat aliquid ex suis redditibus Ecclesiasticis contribuere ad sustentationem alicujus pauperis Scholaris; resolvit Abbas *d. cap. ult. n. 1. & Barbosa ibid. num. 4. h. t. Pirhing eod. num. 9. & alii.* Quod ipsum de facto quoad erectionem, & conservationem Seminarii Clericorum, expressè statutum fuit à Concilio Tridentino *Sess. 23. cap. 18. de Reform.*

Reiffensuel Jus Can. Tom. III.

tino *Sess. 23. cap. 18. de Reform.*

Secus dicendum, quando nulla subesset pia & necessaria causa, sive necessitas aut utilitas Collegii: tunc enim major pars Collegii nihil posset disporre in praedictum aliorum. Glossa *in c. Cum omnes. §. Constitutum. in fin. de Constitution. & Abbas cit. cap. ult. num. 4. §. Unde crederem. h. t.* istud exemplificans in casu, quo major pars Capituli, contradicentibus ceteris, vellet cuipiam facere gratiam aliquam de redditibus, qui perveniunt ad singulos jure Collegii. Nam in tali casu cessaret ratio *in cap. ult. h. t.* ponderata; videlicet ipsius operis pietas, & necessitas: eò quòd concessio dictae gratiae neque pia foret, neque necessaria: ac proinde ipsa non obligaret ceteros contradicentes, per Jura n. 34. & 35. allegata.

Quaeritur IV. An Capitulum possit ferre interdictionem locale sine consensu Episcopi? Resp. I. Capitulum sine auctoritate, & consensu Episcopi, ac multo minus Canonici particulares, non possunt ferre Interdictionem localem propter excessum subditorum suorum. Textus est *in c. Quaesivit. 2. h. t.* ubi ejusmodi Interdictionem Pontifex mandat non observari, neque sustineri ab Episcopo, ut ab aliis observetur. Accedit ratio, quam ponit Glossa *ibid. §. Assensu:* quia talis sententia non tenet, cum sit lata ab eo, qui non habet jurisdictionem: nam vivente Episcopo Capitulum spectato Jure communis, ac seclusa speciali consuetudine, vel privilegio, non habet jurisdictionem Fori externi in territorium Episcopale. Verum de Interdictione alibi.

Possit hoc loco etiam quaeri, an Capitulum valeat condere Statuta; vel ab antiquo condita, aut etiam juramento confirmata, denudò revocare? Verum de hoc jam dictum est supra *Lib. I. Tit. 2. De Constitutionibus. §. 4. num. 84. & §. 21. num. 533. & seqq.* ubi videri poterit.

TITULUS XII.

Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.

I Ratio Ordinis Rubricarum. Rubrica hujus Tituli stat pro regula. *Ibid.*

Postquam in praecedentibus Titulis sufficienter actum fuit de Beneficiis, eorumque concessione; subiungitur Rubrica praesentis Tituli, omnem Collatoribus viam praeccludens, sive ob proprium, sive ob consanguineorum, aut aliorum respectum & emolumentum, quoquo modo, diminuendi, gravandi, deteriorandi &c. ponendo regulam generalem: *Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.* Nam quòd isthaec Rubrica stet pro regula, & ac proinde rectè allegetur: notat Abbas *in proemio. Rex pacificus. n. 8. ac in Rubrica Tit. Ne Sede vacante &c.* Concordat Glossa *in can. Hec autem. §. Statuerit de penitent. dist. inquisiens: Nota, quòd Rubricae sint authenticae: nam ex verbis Rubricae argumentatur haec Lex. Ubi Glossa marginalis subinferendo ait, Argumentum posse sumi ex Rubricis: estque communis Doctorum, ut jam dictum supra in *Proemio Libri I. Decretal. num. 93. & seqq.**

§. I.

De Diminutione Beneficiorum per impositionem oneris: ubi & de Annatis.